



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

V. Quomodo Dux Bolezlaus Pomeranos expugnauerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

*Quomodo Dux Boleslaus Pomeranos
expugnauerit.*

CAPVT QVINTVM.

Sefidus.

*Dux Boleslano
contra Pome-
ranos arma-
mouer.*

*Victoria Boles-
lai de Pome-
rani relatæ.*

*Edit. Canif.
Badum sed leg.
Naclum. Vide
Cromerum
lib.5.*

*Numerus ca-
forum & ca-
ptiuorum.*

B Is omnibus ergò ipsis ad votum compositis, Pomeraniam insultibus crebris concutere, vastare ac populari cœpit. Et quia paganismo tenebantur, Dux eos aut penitus elidere, aut ferro ad fidem Christianismi conatus est impellere. At illi suis sis viribus, eò quod ciuitates & castra, naturâ & arte firma in introitu terræ haberent quamplurima, se inexpugnabiles fore, arbitrati sunt, omnemque substantiam suam in Vrbibus collocantes, armorum præsidia præparare moluntur. Sed quis Deo placuit aliquos ex eis conterere, ut cæteros ad fidem conuerteret, ingenium & vires contra eos Bolezlao ministravit, ita ut multis & magnis cladibus eos frequenter afficeret. Nam & ciuitatem Stetinensem, quæ stagno & aquis vndique cincta omni hosti inaccessibilis putabatur, quæ etiam totius Pomeraniz Metropolis fuit, hiemali tempore strictam pergla ciem non sine periculo exercitū ducens inopinata clade percussit. * Nactam quoque ciuitatem munitam & fortem valde fregit & succedit, & omnem regionem eius igne & ferro vastauit, adeò ut ruinas & adustiones & aceruos cadauerum interfectorum incolæ nobis per diuersa loca monstrarent per annos tres, ac si de strage recenti.

Tam grauissimè autem in illarum ciuitatum expugnatione subacti sunt, ut quos neci & captiuitati Dux superesse pâsus est, cum suo Principe Christianos se atque tributarios fore, quod iurare licuit, pro lucro ingenti ducerent. Ferunt autem quod octo & decem millibus virorum pugnatorum neci traditis octo millia cum uxoribus, & paruulis ad terram suam captiuos abduxit, & in pericolosis Marchiarum locis in Vrbibus, & castris eos collocans, quod terræ sua præsidio forent, & cum hostibus suis, gentibus scilicet externis, bella gererent, indixit.

indixit, hoc addito, ut abdicatis idolis, Christianæ se religioni
per omnia conformarent.

Sed cum reliquos de gente perfida, quos in terra propria Studium Bo-
tributarios dimiserat, Dux, fidei Christianæ apponere curaret, leslai introdu-
omnes Episcopos terræ suæ conueniens, nullum persuadere cendi in Pome-
potuit, ut illò ire, atq; in tenebris & umbra mortis sedentibus lumen riam Chri-
vitæ veller ostendere, singulis suas excusationes prætenden- stianismus.
tibus, sicque per triennium dilata est prædicatio, Duce ipso
fatis ægrè ferente dilationem.

*Quomodo expugnatos ad Christianismum,
coegerit, & Ottonem Episcopum Eu-
gelistam & Prædicatorem eis
acquisierit.*

CAPUT SEXTVM.

DANDEM instinctu * admonitionis diuino ad hoc *Se fiduo.*
opus Ottonem Babebergensem Episcopum, cu- * *admonitus.*
ius tunc fama latè in regnis effloruit, eò quod & *Rolelaus S. O-*
hunc in adolescētia eius Patri suo, Capellani mo- *rthonem in Po-*
re, obsequenter, notum & charum habuerit, inuitare decre- *meraniam in-*
uit, opportunum fore autumnans cum tali viro & antiquas re- *usitat.*
nouare amicitias, & tam sancti operis gratiam illius iniunge-
re sanctitati.

Mittens ergo legatos & munera scripsit ei literas secun-
dum verba hæc: *Domino suo & Patri amantissimo Ottoni Venerabili* *Littera Ducis*
Episcopo, Boleslaus Dux Polonorum filialis obsequij humilem devotionem. *Polonia ad S.*
Quia in diebus iuuentutis tue ad Patrem meum decentissima te honestate *Othonem.*
conversatum memini, & nunc quoq; Dominus tecum est firmans te, & be-
nedicens tibi in omnibus viis tuis, si tua non displicet dignitati veteres te-
cum renouare animo sedit amicitias, tuoq; consilio simul & auxilio vti ad
Dei gloriam promouendam, ipsius gratia coadiuante. Nostri enim, vt ar-
bitror, quomodo Pomeranorum cruda barbaries, non mea quidem, sed Dei